

Mehlburg

1786




Alban, de Felicitate repudiorum



TRACTATIO

DE


FELICITATE REIPUBLICAE
PER AEQVIOREM DIVITIARVM
DISTRIBVTIONEM PROMOENDA



AUCTORE

IOANNE CHRISTOPHORO MEHLBURG

ARTIVM MAGISTRO



LIPSIAE

IN BIBLIOPOLIO I. G. MÜLLERIANO

MDCCLXXXVI

Mehlberg, de Felicitate reipublicae

508

LB 1434



TRACIATO

da

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF

LEIPZIG

DEPARTMENT OF LIBRARIES

UNIVERSITY OF LEIPZIG

LEIPZIG

LIBRARY

UNIVERSITY OF LEIPZIG

LEIPZIG

LIBRARY

UNIVERSITY OF LEIPZIG

LEIPZIG

LIBRARY

UNIVERSITY OF LEIPZIG

LEIPZIG

LIBRARY



ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

HENRICO THEOPHILO
A STVTTTERHEIM

SERENISSIMI ELECTORIS CONSILIARIO INTIMO,
SVPREMO RERVVM EXTERARVM MINISTRO, MILITVM
EQVESTRIVM PRAEFECTVI, ORDINIS SANCTI
ANDREAE EQVITI

VIRO GENEROSISSIMO

SACRVM.



ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

HENRICO THEOPHIL

A STVTTERHEIM

SERENISSIMI ELECTORIS CONSILIARIO INTIMO

SVPERMO ERVVM EXTERAVM MINISTRO MILITVM

ROVSTRIAM PRAEFECTO ORDINIS SACCTI

ANDREAE BOVITII

VIRO GENITORISSIMO

SACRAE



VIR ILLVSTRIS SIME

ATQVE

EXCELLENTIS SIME

*T*VORVM in rempublicam meritorum cum-
lum enarrare panegyricum redoleret, cui meas im-
pares sentio vires. Horum autem admiratione me
perculsum fateri: id mihi vitio duci nequit. Hunc
TIBI debitum cordis cultum manifestandi exopta-
tissimam mihi hoc Specimen suppeditat opportunita-
tem. De quo felici mihi eo magis congratulor euen-
tu, quod pro TANTO VIRO preces effundendi
enixissimas contigerit occasio, et de TVA vita, qua
salus innititur reipublicae, nonnisi fausta auspiciari
amplissimam inuenerim materiam. Quae intensissima

VIR ILLVSTRISIME
*cordis vota, quibus Numen aspiret supremum, si a
TE liberalissime excipiantur: TANTAE beneuo-
lentiae memoriam nulla vnquam in me delebit obli-
vio. Itaque, vt pro summa TVA generositate hoc
specimen, cuius non ignoro mediocritatem ad TVOS
deuolui pedes indulgentissime patiaris meque TVO
amplecti patrocinio haud dedigneris, summo cum ob-
sequio rogo atque obsecro.*

VIR ILLVSTRISIME

ATQVE

EXCELLENTISIME

TVI NOMINIS

ADDICTISSIMVS CVLTOR

IO. CHRISTOPH. MEHLBVRG,

ARTIVM MAGISTER.

§. I.

Homo, ut inter ceteras eminent res creatas, ita etiam rerum publicarum maximum existit decus. Non miramur ipsum cognomen familiaris Dei ab acutissimo Angliae poeta YOUNGIO esse sortitum. Ipsi enim characteres, non per vlla temporis interualla extinguendi, digiti diuini inhaerent. Etsi nonnullis minor sit creaturis excellentia odoris atque visus; ingenii tamen solertia abundantissime illum supplet defectum. Manus flexibiles, quibus est instructus, quarum ope teste ROUSSEAU imperium in cetera usurpauit animalia, alium praestantissimum in artibus excolendis praebent usum. Ab ea potissimum parte se reipublicae commendat.

§. II.

Homo itaque, siue eius vitam, siue artes, quas callet, contemplatus sis, insignia existentiae relinquit vestigia. Dum viuit, terrae multiplicat producta. Dum operatur et reclusas ingenii aperit dotēs, vitae, ut ita dicam, longe lateque alma spargit semina. Ciuitas hanc ipsi induit faciem, eum ad se e horridis euocat syluis, ipsique securitatem praebendo causa est, ut tuto possit naturae dona e gremio depromere. Quo plures homines in vna viuunt societate; eo magis ingenii vires intenduntur, vitae necessaria promouentur, iucunditates cuiusuis generis adaugentur. Populi hinc copia rite inter primum sollicitudinis genus numeratur. Et haec potissimum cura politicos angit.

§. III.

Positis hominibus, ponenda sunt sustentationis praesidia. Primus bonorum fons est terra. Haec enim cunctis porrigit sustentationis

A

alimen-

II

alimenta. Alter bonorum fons conuentione constituitur. Sunt itaque duo diuitiarum genera; alterum realium, alterum conuentionalium. Considerandus igitur est homo in relatione ad priora, secundo ad posteriora, tertio ad se inuicem.

§. IV.

Vbi vtraque defunt, egestas adest. Cuius ad originem nunc red-
eamus.

§. V.

Duo dantur modi acquirendi. Alter est naturalis, alter ciuilis. In vtroque aut originarie, aut deriuatiue acquiritur. Originarie non nisi vnicus datur possessionis titulus, qui occupatione efficitur.

§. VI.

Vbi de vita hominis sermo est, omnium hominum sunt aequalia iura. Originarius hinc modus occupandi bona terrae omnibus hominibus relictus esse debebat. Si hoc ius in terram non exercent, id venit, aut quia non volunt, aut quia non possunt. Prius absurdum, posterius igitur remanebit. Impediuntur, vel a natura, vel a societate. Non a natura, quoniam sequeretur, terram non cunctorum necessitatibus sufficere, quod per experientiam remouetur. Ergo a societate. Egestas igitur, non naturae, sed iuris socialis sequela est.

§. VII.

Occupatio vnicus acquisitionis modus esse desit, medium etiam a natura ad acquirendum constitutum, quod labore absoluebatur, inuersum est. Dantur enim acquirendi media, sine vllo labore coniuncta. Sic pretium eminens, quod vt permutationis medium inualuit, fructus terrae repraesentans mox ipsi substantiae seu terrae substitui inceptit: etsi res, quae vitam sustentat, nulli possit aequipari pretio, nec pecunia eandem praestet securitatem ac terra. Vt
cetera

cetera omittam, duae aliae extant causae, quae bona in vnum cumulant caput; testamenta nimirum et successiones ab intestato; duo possidendi modi, quam longissime a natura aberrantes.

Scholion I. Auctores extant grauissimi, qui testamenti factionem, ex amore, quo erga sanguine coniunctos flagramus, probare contendunt. Inter hos maxime celeberrimus eminent Dariesius. Sed petitionis principii vitium commisit; antequam ex amore testamenti factionem eruisset, ius ipsum disponendi de re, quam homo non amplius nec occupare nec tueri poterat, probandum ipsi incubuisset.

Scholion II. Papa, qui Hispaniarum regi ius concedebat retinendi terras, quas inuenerit, credidisse videtur, neminem, excepto Christiano, qui terras possideat, dignum esse et se tanquam caput christianorum de iis liberam habere dispositionem. Sed quod maxime miramur, est tacita omnium principum agnitio iuris, tam singulari modo acquisiti.

§. VIII.

Tanquam corollarium ex dictis inferimus, in statu ciuili laboris patientissimo vitae tamen necessaria deesse posse ob defectum occupationum.

§. IX.

Quod magis auget inopiam, est ordo semel constitutus, vi cuius fundi in aeternum alienari possunt; hinc etiam in praeiudicium posteritatis circa bona disponere permissum est. Nec imitati sumus celeberrimos populos, qui aequitatis rationem secuti, aequilibrium restituere conati sunt.

Scholion I. Legimus in Leuitico fundos terrae anno iubilaeo ad priores rediisse possessores, ob inopiam ad alienandum, coactos. Sequitur venditiones terrarum nonnisi ad tempus praefixum va-

luisse, et Judaeos circa earum alienationem nonnisi temporales agnouisse obligationes.

Scholion II. Romani vicesimam ab omnibus ciuium testamentis introduxerant. Caracalla illam legem Iuliam ad peregrinos extendit et ad decimam ampliauit. Qua lege onera publica pro parte e mortuorum successionebus profuebant, hinc ciues subleuabantur.

§. X.

Prima igitur inaequalitatis fortunarum causa e iure ciuili petenda, quod ansam dedit ad maiores abusos, ad ecclesiasticos nimirum et ad politicos. Ad ecclesiasticos referendae sunt amplissimae terrarum possessiones in monachorum potestate, piae fraudes, quibus patrimonia et nummos simplicium ad se trahunt, innumeri dies festi, peregrinationes cet. Ad politicos onera prementia et inaequaliter distributa, seruitus, militia nullis circumscripta limitibus, priuilegia et leges iniquae.

Scholion. Miramur, principes romano catholicos pro pallis tantas adhuc nostris diebus Romam mittere pecuniae summas, et nullam imperii legem illum sustulisse abusum.

§. XI.

Alter inaequalitatis fortunarum fons ab ipsis artibus repetendus. Nam vt primum artes excoli et vrbes extrui coeperunt, artium cultores vltro in terrarum possessionem renunciarunt, vt se toti artibus traderent.

§. XII.

Tertia inaequalitatis causa sunt rationes physicae, clima nimirum, terrae et elementorum qualitas, culturae differentia, hae causae naturales vnam gentem alteri reddunt inaequalem et in eadem gente diuitiarum et miseriae exhibent exempla.

§. XIV.

§. XIV.

Quarta causa moralis est originis et pendet potissimum ab ignorantia populi, eius defectu aemulationis, praeiudicii, luxu etc. Hae causae non eiusdem sunt naturae, ac praecedentes, e medio enim tolli possunt, quod minus commode fit ratione praecedentium.

§. XV.

His rationibus, quae internae vocari possunt, recte accedunt externae, quae sunt aemulatio seu concurrentia ceterarum nationum et navigatio ad Indiarum colonias.

Scholion. Quanta detrimenta Germania ex illa navigatione passa fuerit, id testatur destructio commerciorum in prouinciis antea locupletissimis. Sic *Coccus Casii* LINN. ex Americae regionibus in nostras translatus, rubiae tinctorum culturae, Spirae aliisque ad Rhenum sitis prouinciis, terminos posuit. Indigofera Itatidis tinctoriae culturam Erfurthi et in tota Thuringia extinxit, non obstantibus imperii legibus. Indiae fabricata, nostra sustulerunt; ita vt Gottingae vbi olim octingentae fabricatorum officinae inueniebantur, vix tres adhuc supersint.

§. XVI.

Quot causas enarrauimus, quae terrae bona in vnum caput cumulant; tot dantur modi interrumpendi aequilibrium inter diuersos hominum ordines. Miseriae igitur inde profluunt, quod ingens gentis pars bonis caret realibus. Iis destituti sunt homines aut libere, deferendo terras, aut coacte ad deferendum sollicitati: quod quomodo acciderit, e praecedentibus clarum est. Nunc igitur duo agenda mihi supersunt. Primo vt probationem addam, ex illa rupta proportione aequilibrium inter ceteros ordines fuisse sublatum. Secundo vt illud restituendi media suppeditem.

§. XVII.

Quum ubiuis querela de ingenti populorum numero moueatur et vitae subsidia in dies ingrauescant: ante omnia examinandum, an natura suis creaturis alendis sit impar. Contrarium autem elucescit ex tot terrae tractibus plane incultis, quorum et ditissima regna, Anglia nimirum, Gallia et Germania frequentissima exhibent documenta. Sed ubi res ad calculum reuocari potest, ibi non amplius dubitationi relinquitur locus. Inquiramus igitur ope calculi, quot agrorum ad vitae sustentationem requirantur. Etsi nulla regula vniuersalis pro omnibus terris deduci possit, quoniam copia hominum ad terram erit in ratione composita climatis, qualitatis fundi, culturae et circumstantiarum; tamen cum Schlettweinio duo agri vnius vitae sufficientes tuto assumi possunt. Nam vnus ager plus quam nouem modios frumenti exhibet, hinc excedit summam ad vitam requisitam, vid. Schletwein Archiv für x. Vol. II.

Notae climatis. Si Italicas inuiseris regiones, eodem labore inaequalem produci messem videbis. Ibi frumenti copia se quouis anno habet ad copiam frumenti in eadem extensione septentrionali, vti octo ad quinque. Ergo numerus populi in eadem extensione excedere posset duplo numerum habitantium, in septentrionali regione.

Qualitatis fundi. Terram limosam plus fructuum reddere, ac terram arenosam luculentissimum est. Hinc maior terrae extensio requireretur, ad eandem hominum copiam alendam in terra arenosa, ac in limosa.

Culturae. Oeconomiae est, hac in re, nobis facem praeferre. Pro scopo annotasse sufficiat, per culturam, vel fundum ipsum meliorem reddi, vel minus impensarum pro eadem productione requiri. Multa adsunt exempla, quae hoc probant. Sic vnica Secalis stirps in partes lacerata et quaeuis pars, postquam incrementa ceperit, ite-

rum

rum in partes diuisa et terrae denuo insita innumerabili modo se auxit; ita vt vnum et viginti millia centum et nouem spicarum egerit et hae spicae quingenta septuaginta sex millia, octingenta et quadraginta grana reddiderint. Ne quis hoc in meras speculationes abire censeat, legendus est Cel. A BIELFELD *institut. politiques*, qui de Chinenfi imperio tradit, ibi Secale plantari. Si hoc, ingens frumenti copia in commercia redibit. His addendum est inuentum ingeniosissimum Cel. DU HAMEL. Per aratrum ab ipso inuentum, non solum minus laboris, sed etiam minus sementis impenditur.

Circumstantiarum. In septentrionalibus plagis tertia terrae pars ad ligna ob frigus adhiberi solet, quod secus est in plagis ad austrum fitis, vbi omnes terrae tractus frumento dicantur; hinc populi copia pro tertia aut quarta parte augeri posset. Anglia ope lithanthracum in iisdem esset collocata circumstantiis, si suis sciret frui diuitiis.

§. XVII.

Posito agrorum numero, videamus an populi copia illo sit vbiuis congrua. Illud regnum nostris submittamus calculis, quod inter felicissima praedicatur. Secundum calculos Davenanti Anglia continet triginta nouem milliones agrorum (acres.) Major Grant ad viginti quinque milliones eos se extendere perhibet. Media via tutissima esset, sed ne nimia proferamus posterioribus insistamus calculis. Qui numerus, per duo diuisus, efficiet numerum habitantium, id est obiectum duodecim millionum et quingentorum millium hominum, seu alterum tantum eorum, quos reuera continet, quoniam numerus habitantium intra sex milliones subsistit. Si hoc verum est ratione Angliae ob populorum copiam celebris, non est quod ad cetera Europae regna calculos extendam meos. Demonstratum cenfeo, terram non solum sufficere nostrae vitae, sed etiam posteritati in longissima abhinc saecula non defuturam.

§. XVIII.

§. XVIII.

Bonis carere ingens est malum, tum homini, per se considerato, tum ciui in relatione ad alios ciues, tum toti reipublicae.

§. XIX.

Homini, qua homo est, considerato. Nam instinctu fortissimo ad vitam ducitur, maximaque a vita beneficia haurit, siue consideres cognitionem diuini numinis quam a stupendorum operum spectaculo inferre posset et quae intuitu miseriarum, quibus premitur, obscurantur; siue ad ingenii vires attendas, quibus sibi aliisque extra se maximam afferre posset vtilitatem et quas incultas et sine pretio, quoad alios, relinquere cogitur. Si vero labor ipse, quem ad acquirenda bona impendere cupit, ipsi sit inutilis, tunc naturam, quae sibi vires ad illum finem suppeditauit, sibi ipsi repugnantem deprehendet omnemque spem abiiciet. Per aspectum felicitatis aliorum, ad odium erga proximum incendetur et si honoris instinctus potior sit conscientia, se in crimina coniicere nullus dubitabit.

§. XX.

Respublica ipsa ingentia patietur damna. Nam non solum contribuentibus et producentibus destituitur; sed etiam hostes sibi parabit omniumque tam moralium quam ciuiliū virtutum patietur deliquium. Ibi animus non exardet ad facta heroica et ad inuenta vtilissima; ibi educatio liberorum, qui sunt maximum reipublicae decus, vigere desinit; ibi securitas publica per furta, homicidia, atrocissimaque delicta tollitur; ibi amor patriae in omnibus pectoribus enecatur et dulcia patriae arua vndiquaque deseruntur.

§. XXI.

Ex illo interrupto ordine aequilibrium in reliquis hominum ordinibus interiisse, id mihi iam probandum incumbit. Demonstrationem sequentibus innitor propositionibus.

Prima

Prima propositio. Vbi terra deseritur, inaequalitas oritur fortunarum et haec inaequalitas magnis afficit incommodis reliquos aratores.

Probatio. Ille, qui plus acquirit, quam reliqui, ditior fit, eam ob causam pretia rerum ab ipso pendent, quae imminuet, vt ceterorum adipiscatur producta, et augebit simul ac finem obtinuerit: id quod ceteros non potest non depauperare.

Secunda propositio. Desertio terrarum secum trahit decremента artium.

Probatio. Minores familiae ad vendendum coactae sunt; possessor multarum terrarum expectat annonae caritatem, si producta augeantur pretio, pretium itidem rerum fabricatarum augebitur, hinc incolae aliena quaerent fabricata.

II do. Illi, qui patriam deseruerunt, non amplius consumunt in patria. Ergo fabricae damnum exinde patientur.

III tio. Si cultores deseruerint vicos, vt se in vrbes recipiant, tum imminutus est producentium numerus, quod pretia rerum augeat. Si se in artes coniecerint, tum duplex damnum ceteris inferunt, nam productio est minor et consumptio eodem modo se habet: numerus ergo opificum eam ob causam diminutionem potius, quam augmentum capere debuisset. Ementes vt alliciantur, imminutione opus erit. Vile pretium omne adimit lucrum, ipsi itaque interibunt et ceteri quibus lucrum sustulerunt.

IV to. Opifices, vt viderint artem, quam callent, non amplius vitae necessaria suppeditare, liberos ad litteras impellent per stipendia ad illud vitae genus allecti. Quo fit, vt ordo eruditorum vltra modum augeatur, modi perueniendi ad honores ingrauescitur quouis die, et tota respublica superfluis adimpleta sit membris.

Tertia propositio. Tota respublica damnum percipiet ex illa terrarum desertione.

Probatio. Vitae necessitates maiori numero producuntur, vbi minores, sed multae extant familiae, quam vbi perpaucae diuites inueniuntur; nam illi nil dant iucunditati, quod fit a posterioribus. Plus autem refert reipublicae, vt vitae necessaria promoveantur, quam ceterae res. Ergo possessioni terrarum a magno familiarum numero plus vtilitatis affertur, quam earundem terrarum possessioni inter paucas distributarum familias.

Ido. Onera publica, quae pereunt, in reliqua transferuntur membra, quod et ceterorum efficit egestatem. Ex dictis ergo inferimus, ex diuitiarum inaequalitate innumera mala reipublicae inferri.

§. XXII.

Vt primum terrae florere desinant etiam vrbes perire, probant Erfurthum, Colonia, pleraeque vrbes foederatae; sed florere desinunt, simulac populorum imminuitur copia. Exemplo etiam fit Hispania. Illud regnum post expulsos Mauritanos, qui canales duxerant in locis, qui hodie arena teguntur, nec non post inuentam Americam semper decreuit gloria et diuitiis. Diuitiae enim, quas America ipsis offert, non possunt abscondere miseriam, qua premitur. Nullam aliam tanti decrementi causam et sagacissimi huius imperii Auctores, puta Vstarizius, Campomanes dederunt, quam iniustum contemptum diuitiis realibus datum, prae diuitiis conuenientibus. Probare facillimum mihi foret iucunditates vitae olim maiori in copia extitisse, quam nunc, et maiores nostros nobis fuisse locupletiores. Sic colligimus ex editis Principum Darmstadii, Eisdem leges tulisse sumtuarias. Lex supponit abusum. Sed quod maxime nos implet admiratione, est ipsum editum, quod maiora fruuentibus concedit beneficia, quam quae apud nos extant. Et quod maximi est momenti, iucunditates vitae se ad infimas ciuium classes extendisse.

Scholion.

Scholion. Schletweinius in Archiuo illa collegit edicta, aliam autem inde deducit rationem. In fauorem systematis physiocra-
tici vult, vt nostra inopia ex accisa et oneribus orta sit. Sed
vbi propiores extant causae, non ad remotiores est recurren-
dum. Floruit nempe Germania ante tempora nauigationis ad
Indias et antequam Rogerius Siciliae rex bombycem Panormi in-
cluserit, vnde postea omnes e lana texti panni a Germanis in Ita-
liam vesti, in desuetudinem abierunt. Vide Fischer *das Com-
merz von Teutschland.*

§. XXIII.

Quid igitur agendum, vt inaequalitas fortunarum exuletur?
Res per eadem media est restituenda, per quae fuit destructa. Causae
ciuiles, politicae, internae et externae remouendae. Labor, illud na-
turale acquisitionis medium, in pristina iura restituendus. Vt labor
exerere possit vim, media ipsi sunt suppeditanda.

§. XXIV.

Media naturalia praeferenda sunt reliquis. Ergo terra artibus.
Sed terrae defunt, ob inaequalem earum diuisionem. Actioni, quae
diuitias ad se rapit, opponenda est reactio, quae aequilibrium restituat.
Hoc fit, dum respublica ipsa diuisionem praediorum Principis et
feudorum, quae reuertuntur, incipit, subdivisionem eorum interdi-
cendo. Ex illa terrarum diuisione haec sequuntur consecutaria. Primo:
quum non amplius ingentes terrae tractus in vnum contrahere liceat,
plures autem portiones a se inuicem diuisas possidere incommodum
sit, diuites nummos abundantes aliis vtendos concedent. Hoc modo
familiarum numerus crescet et nummi inaequaliter diuisi in alios
transibunt. Secundo omnes laborum assueti inuenient terras et ter-
rae ipsis securitatem praestabunt, ad nummos obtinendos.

§. XXV.

Primum hunc conatum, alius insequi debet: nempe abolitio immunitatum. Iniustum est terram necessitatibus aliorum recludere et privilegia vitae iniusta et iure naturali ignota, ad oppressionem ceterorum concedere. Sed si possessores terrarum immunitum exemplum Imperantis sequi detrectent: nihil aliud supererit, quam ut respublica eas nummis acquirat et eodem, quo dictum est, modo terrarum expertibus conducendas offerat. In spatio triginta aut quadraginta annorum immunitates erunt abolitae, numerus habitantium adauctus, onera aequaliter distributa et respublica ditior facta. Id omne est, quod quaerimus, non ad reliquas terras diuisionem extendemus, aequiorem potius, quam aequalem intendimus distributionem. Aequalitas naturae ignota est. Datur gradatio in mundo physico, uti in mundo morali. Illa gradatio maximum societatis est vinculum et calcar addit agentibus.

§. XXVI.

Sed quid aratoris referret, habere possessionem terrae, si proprietatis expertus esset, si alii fundum, suo sudore acquisitum, peruagarentur; si suis pecoribus denegare cogeretur pastum, ut aliena illo fruantur. Muniendi suum fundum ius ipsi est concedendum, si cultus ad maximum se euehere debeat gradum et respublica simul diuitiis crescere cupiat.

§. XXVII.

Ne tantos respublica amittat fructus, ne possessor ad alios extra imperantem se referat neque sub mole ingenti onerum, quorum nomina adhuc plus abhorret quam onera ipsa, vexetur, omnes decimae ab aliis redimendae, omniaque onera tam personalia, quam realia in vnum coalescere, paucis portionibus et diuersis temporum interuallis ferri debent.

§. XXIX.

§. XXVIII.

Adiuuandus esset in suis operibus colonus ab oeconomiae studio, ipsique auxilia indicanda essent ad fundum augendum et physica elementorum obstacula depellenda.

§. XXIX.

Quodsi his accedat, ut suos proventus cito possit in nummos conuertere, si uehicularum a cunctis soluenda, distans ab urbe opportunitatem praebere ad superflua in nundinis vendenda, si mercatura et nauigatio pretium rerum adauerint: tunc ipse ditior factus aliis alendis sufficeret, omniumque miseriarum facies esset mutata.

Scholion. Optandum esset, ut omnes Germaniae principes opus a Carolo Magno inchoatum, tendens ad Danubii aquas Moeno commiscendas, prosequerentur. Quanta tota Germania exinde hauriret lucra! Id eiusmodi est, ut nostram mentem obperpeffa damna obnubilatam exhilarare posse videatur.

Diuitiae conuentionales.

§. XXX.

Finita operatione reipublicae qua aequiorem terrarum diuisionem, nunc ad aliam transgredior diuitiarum classem, quarum cumulatione aequilibrium rumpitur; ad diuitias nimirum conuentionales, aut ex metallis, aut aliis rebus compositas. Pecuniam itaque, quae apud plerasque gentes ceu pretium eminens inualuit, perlustraturus, quid sit et quomodo in omnium usum venire possit, enucleabo. Pecunia igitur, non ut merx, sed ut pretium eminens considerata, est mensura conuentionalis necessitatum diuersarum. Ex definitione colligimus non obtinere, nisi ubi conuentiones valent; id est in vita sociali; secundo nisi eius valor conuentioni sit adaequatus, tertio nisi res, quam ope eius permutare cupimus, reuera adsit. Pecunia, sublati

his tribus conditionibus, non amplius vt pecunia valet. Pro nihilo est ipsi, qui sit in loco deserto; cogitur inde, nihil prodesse illi, qui eam reponit in societate ciuili.

§. XXXI.

Pecunia necessitatibus vitae immediate sufficere nequit, eas non nisi tunc explet, cum illis, qui eas promouent, ceditur. Quum pecunia possit sua natura de manu in manum transire, seu quod idem est in cursu esse: sequitur pecuniam, quae cursitat, necessitates solummodo suppeditare.

§. XXXII.

Quantitas igitur nummorum indifferens est. Si pauxilla nummorum summa, rapiditate cursus, ter producta multiplicat, idem est, ac si summa, ter maior, quam prior, eundem productorum numerum comparasset. Exemplo mihi vti liceat. Sumamus vnum thalerum in vrbe ex mille familiis composita, quouis die cursum illarum mille familiarum absoluisse; tunc quaeuis familia quouis die thalerum expendit et omnes simul sumtae mille thalerorum summam quouis die penderunt. Summa mille thalerorum simul sumtorum eandem productorum copiam parasset; ac ille vnicus thalerus. Applicare liceat hoc exemplum ad aliam causam. Sint quatuor familiae, quarum quaeque habeat thalerum. Supponamus eam summam congestam quinque thaleris, quauis hebdomade parandis, sufficere. Si res maneant, vti nunc sunt; acquisitio ad nihilum se reduceret; sed si illae familiae de congerenda earum pecunia omnibus vtenda conuerterint; idem erit ac si quisque quatuor haberet thaleros; vsus enim eosdem parat fructus. Si vnus, eos in suum conuerterit vsus, et eorum ope quinque thaleros acquisuerit; tunc reddita summa commodata vnus ipsi thalerus fruendus supererit, quo destitutus esset, si illa nummorum congestio locum nullum inuenisset. Sed quod magis est, ceterae familiae eadem sibi nunc parabunt emolumenta, hinc dupli-

duplicata tota summa fundus tamen primus saluus remanebit. Ex
 eo exemplo luce meridiana clarius apparet, quam ingens fit vis ar-
 genti cursus! Totius igitur interest reipublicae, vt nummi circum-
 agantur, quoniam impedito eorum cursu omnis labor et omnis sistitur
 acquisitio.

§. XXXIII.

Recognita argenti cursus vi, nunc videndum, quomodo illa possit
 perfici. Nummi extant, sed separati et in hac conditione debi-
 lis eorum est vis, confluere deberent ad exercendum omnem impe-
 tum. Sed ob diffidentiam, nulli nummos tradere in animum indu-
 cent. Vt primum securitas adsit, nummi erunt abundantissimi. Il-
 lam securitatem, excepto imperante, nemo praestandam suscipiet. Lu-
 crum, ex illis profluens nummis, admodum leue sit necesse est: nam
 commerciorum incrementa alio modo promoueri nequeunt, sed me-
 dia indicabo, quae sine participantium detrimento lucrum deficiens
 supplere valeant. Illa nummorum congestio esse debet in salutem
 omnium. Ergo, vt omnes lucrum percipiant, quaecunque pecu-
 niae summa etiam paucissima est recipienda. Illa summa tradita quo-
 vis die repeti posset et lucrum quouis mense solui deberet. Docu-
 menta, super summa, quam quisque tradiderit, exhibita, locum pecu-
 niae in commerciis tenerent; hinc idem esset, ac si quisque creditor
 duplum summae traditae possideret. Haec media quemuis ad tra-
 dendos nummos allicere sufficient.

§. XXXIV.

Sed quaeritur ab altera parte, cum commoda debeant esse reci-
 proca, quamnam Imperanti praestent securitatem debitores? Hoc
 eo grauius est, quod argentum illud commercia praecipue foecun-
 dare debeat. Quod illos attinet, qui fundos, aut domos possideant,
 res est decisa; sed fabricatores, artifices, mercatores illis destituti
 subsi-

subsidii, quid agendum cum illis? Omnes possunt in duas classes dis-
pesci aut producunt, aut vendunt producta. Prioribus locanda
esset pecunia contra producta artium, posterioribus contra mercatu-
rae obiecta, aut contra litteras cambiales.

§. XXXV.

Ex illa nummorum congestione confectaria fluunt cuius Imper-
ranti grauissima.

Primo. Rempublicam, aere alieno obrutam, hoc modo com-
mode e nominibus exituram.

Secundo. Prouincias, ab vrbe capitali distas, nummis non am-
plius destitutum iri, propter onera in urbem capitalem vehenda, quo-
niam summa soluenda alio sub volumine in urbem capitalem transibit.

Tertio. Imperantem, e nummis ex oneribus publicis profluentibus,
a tempore, vbi illi soluti, vsque ad tempus vbi adhibiti fuerint,
lucrum adhuc ex redditibus percepturum.

Quarto. Agriculturam, artes mechanicas, fabricas, mercatu-
ram, hoc modo maxima capturas esse incrementa, vitae subsidia
cunctis facillima deuentura.

Quinto. Lucrum illud extra modum auctum iri per negotia et
fabricarum nouarum instructionem.

Sexto. Non amplius opus esse, vt nummi ad depellendos ca-
sus fortuitos, incendia ceterasque calamitates colligantur. Passim
de nummorum collectione, pro illis obiectis conqueritur, quoniam
plurimis in locis in onera realia iam excreuerunt. Imperans, pro se-
curitate et impensis, deducit modicam lucri partem, pecunia, quae
deductis impensis supererit, pro parte pro illis fortunae casibus repo-
nenda. Secundo, respublica negotiis se immiscendi et portiones su-
perstites sumendi ius habebit, vnam vel alteram ex his portionibus
illis fruendas concedet, qui damna fuerint perpeffa. Tertio, ex prae-
miis

miis extraordinariis, vbi lucrum ad nouem decem et plus vltra fecerit, modicam lucri partem retinendi ius habebit, ex qua nummi miseris sunt tradendi, qui ipsi summam traditam restituendi habebunt facultatem, vt primum fundum hoc modo ereptum per commercia multiplicauerint. Habebimus igitur plus vno fonte, vnde hauriamus, vbi oceanus adfit, nec aquae vnquam deerunt.

§. XXXVII.

Noua hoc modo relatio et nouum inter prouincias et urbem capitalem nequitur vinculum. Ob facilitatem nummos habendi et eos alio sub volumine in urbem mittendi commercia omni liberabuntur periculo, seu quod idem est, maiora capient incrementa. Vbi commercia vigent, ibi vitae necessitates se ad omnes populi classes sunt extensurae.

§. XXXVIII.

Quo maior sit cohaerentia prouinciarum cum vrbe capitali; eo velocior erit argenti cursus. Sic Anglia vltimo bello semper paratam inuenit pecuniam quamuis per tot debilitata hostes et per tot annorum bella exhausta. Non sine maximo incommodo Gallia bellum longius protraxisset. Ab Anglia, quouis anno viginti quinque miliones sterlingorum expendebantur et sub tanta mole nec per spatium octo annorum succubuit. Fieri nequit, vt illa summa ab initio belli extiterit, componeret enim ea ducentes miliones sterlingorum; id est alterum tantum totius argenti copiae in Gallia extantis. Iam vero Gallia ter superat Angliam populorum numero, ergo moralem secum trahit contradictionem, gentem ter minorem gallis, eos duplo diuitiarum cumulo anteisse. Sequitur igitur Anglos, pecuniam, quam regi locabant, e nummis ad se semper redeuntibus sumfisse. Quam ingens fuerit ille argenti cursus, id probat breuitas temporis, quo absolutus est. Enarrandae mihi sunt causae, quae il-

lud factum explicent. Prima est bellum ipsum, quod auget argenti cursum; secunda, commercia, quae vigent et quorum ope factum, vt subsidia et maxima impensarum pars in Anglia remanserint et nonnisi per litteras cambiales ad externos transferint. Tertia, schedularum curfus, quae eandem in Anglia habent fidem, ac argentum ipsum. Quarta, intima cohaerentia prouinciarum cum vrbe capitali. Hae sunt caussae, quae Angliam ad ea duxerunt miracula, quorum fama Europam impleuit.

Scholion. Ex eo elucescit prouinciarum cumulum non augere imperii robur.

§. XXXIX.

Ex illa denique nummorum congestione maxima profectura sunt ratione fundorum commoda. Cuiusuis generis acquisitiones promouentur, et illis acquisitionibus maius communicatur pretium, fundorum praefertim valor augetur eosque habendi incenditur desiderium. Ad omnes aemulatio transit ordines, omnibus populi classibus oportunitas praebetur se commerciis immiscendi, patrimonia nouis ditandi incrementis vitaeque iucunditatibus perfruendi.

Homines inter se.

§. XL.

Homines nunc considerandi veniunt inter se; quatenus sibi invicem vitae necessitates suppeditant. Relationes diuersas hominum inter se nunc explicabo.

Prima eorum ratio est ad terram. Repraesentare nobis liceat omnes terrae fruges ab vna parte et homines, qui eas consumunt ab altera. Vti frugum moles se habet ad multitudinem hominum eas consumentium; ita vnaquaeque pars frugum ad vnumquemque hominem consumentem. Itaque ex illa copia partem petendi quilibet
ius

ius habet. Sublata autem bonorum communione nonnisi tribus modis ad illarum perueniri potest possessionem. Primo per permutationem operarum cum terrae frugibus, secundo ope permutationis signorum cum iisdem frugibus, tertio per immediatam earum productionem. Si vltimum locum habeat tutissima omnium ea erit conditio, nam ad viuendum nulla alia opus est interuentione. Sed ter-
ris deficientibus, vt quisque suam sibi debitam frugum partem obtineat; mediate ad illam perueniendum est homini, inde nascuntur aliae relationes.

Alia ratio est artium ad agriculturam. Artes, quae pertinent ad copiosissimam omnium classem, solidissimo innituntur fundamento et nonnisi cum agricultura ipsa periclitantur.

Tertia ratio est artium quibus luxus cernitur. Hae enim magis ab agricultura recedunt, quam praecedentes; diuersitas ad eas tuendas faciet.

Quarta ratio est operarum ad signa vel fruges terrae. Supponit bonorum realium, conuentionalium et artium inopiam; hinc maximis haec conditio laborat incommodis. Successio non intermissa operarum solum erit vitae fulcrum.

Quinta denique ratio est signorum ad omnes classes praecedentes et ad omnia necessitatum genera. Coharet autem magis cum luxu ille ordo, quam cum reliquis artibus; inaequalitati igitur fauet, nisi eius arctior fiat relatio cum classibus praecedentibus.

§. XLI.

Ratio hominis ad hominem, tunc erit arctissima, si vnus sine altero esse nequeat. Vinculorum instar erunt necessitates quibus efficietur, vt alter alterius egeat auxilio eaque vicissim reddere debeat. Ceterorum autem industriam deleret ignauia, remouenda igitur est. Vti vitam recipit aqua, si remotis obstaculis ad cursum

pellitur; ita secretione membrorum superfluum; ceterorum vires vehementer increfcunt. Revocandi igitur funt omnes superflui homines ad illam vitae conditionem, in qua vitae neceffitates abundant. Secundo, media funt fuppeditanda, quibus omnes hominum ordines intime inter fe cohaereant.

§. XLII.

Inexhausti vfus deprehenditur terra. Colligendi igitur funt omnes, qui damna erunt perpeffi, vt fe in ea vitae conditione ab his reficiant. Post diuifionem in minores, fed non aequales partes, terrae deeffe nequeunt; fublatis immunitatibus, plus lucri reddent; nummos parauimus; quid igitur impedit, quo minus ad terrae cultum omnes alliciantur? Deefft huic negotio honos, praeiudicatis opinionibus ea adhuc confideratur conditio. Interim negari nequit, multos, ob obligationum cumulum, quibus terrae cultus premitur, ab illa vitae conditione deterreri. Mei iam efft officii, vt vnum et alterum e medio tollam impedimentum. Si a lucro percepto incipiant obligationes; fi porro maior praefitetur fe curitas, quam in aliis vitae conditionibus; fi denique, qui vtiliffimae omnium artium ftu- duerint terris remunerentur; ad illam conditionem confugere nullus dubitaret. Iis, qui nummis deftituti funt, terrae, pro dimidia fructuum parte reipublicae reddenda, concedi poffent. Respublica igitur nullam hoc modo nummorum faceret iacturam, cultores vero anxii exempti curis toti huic praeeffent negotio. Securitatem omnes quaerunt homines. De hoc folliciti nummos poffteritati fruendos colligunt. Laudanda omnino efft cura, quae illos ad viduas et liberos fufientandos adigit. Sed non fati firmum incertae forti opponunt propugnaculum. Argenti, de quo confidunt, incertus efft valor. Immo iam vbiuis hi fundi corruere. Terrae maior inefft foliditas; acquirendae igitur effent terrae et cuiuis viduae fructuum portio effet

con-

concedenda. Vti maior cultus maiorem reddit prouentuum messem; ita etiam cresceret viduarum fortuna. Vltro ad illam vitae conditionem liberi transfrent et illud vitae genus omnium solidissimum, copiosissimum etiam esset populorum numero. Illis denique, qui oeconomiae studii non incurii fuissent, praemii loco, terrae essent concedendae. Dummodo terrae colantur, respública lucratur. Hoc modo et lucrum et honorem ad illum accedere videremus ordinem, et transitus fieret ex aliis conditionibus, in illud vitae genus vbi manus sufficiunt ad fruendum.

§. XLIII.

In secunda classe, quae opificia et vtilissimas comprehendit fabricarum officinas, si qua se manifestet egestas, ea a rationibus internis aut externis est deriuanda. Omnibus illis obstaculis ab impetrante remouendis, hic superfedebō. Ea mihi nonnisi suppeditanda sunt auxilia, quibus corporis politici repletioni remedium affertur. Pereunt hae artes, quia fundamento quod agricultura constituitur, carent. De agricultura satis iam verborum fecimus; vel pereunt, quia alius ordo se extollit. Si alias enim luxus substituit necessitates, necessitates alius generis remouentur. In respública, vbi omnes artes vigent; omnes certant de gloria. Inuentis luxus opponuntur inventa artium et nullus se efferre potest ordo. Ad perfectionem igitur perducendae sunt omnes artes, ne vna alteri noceat. Maioris autem est momenti res, si nostra debilitantur commercia, aut si numerus producentium hominum plus iusto copiosior sit. Hos vltimos defectus ad has reducam classes.

Aut qualitas rerum fabricatarum causa est deficientis consumptionis.

Aut forma deest fabricatis rebus.

Aut diuersitate carent.

Aut locus, quo producitur auget pretia rerum.

Aut numerus producentium hominum vno in loco congestus maior est, quam pro locorum angustia.

Aut denique nulla adsunt vehicula, quorum ope nostrae merces transeant ad nostras et exteras prouincias.

§. XLV.

Regulae tradendae sunt, quibus defectus praecedente paragra-
pho citati optime remoueantur.

Reg. prima. Si qualitas desit elementis, ex quibus fabricata prodeunt; illa est per oeconomiam emendanda. Si defectus lateat in modo fabricandi; per aemulationem remouendus, quae per praemia et per fabricatores sagaciores ab exteris arcessendos excitanda est. Si nec haec media ad finem ducant, ingenio hominum aliud dandum est studium.

Reg. secunda. Formam dant symmetricae proportionales et hae pendunt ab ingenio, cum artibus cultioribus coniuncto. Hinc illae artes vigere debent, quae dant iustas proportionales seu ars designandi et pingendi.

Reg. tertia. Diuersitas pendet ab inuentione. Inuentio fit per elementorum combinationem. Elementa docet chemia; hinc artes cum chemia cohaereant necesse est.

Reg. quarta. Fabricae eo sunt ablegandae, vbi maxima materiarum existit copia, vbi elementa ipsis fauent, pretia rerum et locationes seruorum sunt iustiores et vbi magis cum vicis cohaerent. Ergo ex vrbibus capitalibus euocandae. vid. *Souneufels*.

Reg. quinta. Abundantiae semper respondet defectus. In prouinciis incrementa capient illi, qui in vrbe capitali degere nequeunt. Nemo vnquam hominum inutilis fuit, qui fuerit rite adhibitus.

Reg.

Regula sexta. Cursus publici instituendi, ut vinculum adsit inter prouincias. Sed pro vilissimo pretio omnes sunt recipiendae merces, ne exteri iustiora ineant pretia.

§. XLV.

Tertia hominum classis, omnibus ceteris ordinibus innumera inferre potest mala. Ab agricultura enim recedit; si porro res, quas luxus offert, consumptioni non fauent, noua fit diminutio argenti, nam reponitur pecunia, quod repugnat, uti vidimus, felicitati reipublicae; si denique exteri omnia ad artes suppeditant: argentum, quod praesens erat, perditur. Sint centum millia florenorum in cursu, qui, ante introductum luxum, a colonis ad ciues et ab his ad colonos abibant. Iam vero post introductum luxum tertia pars eius pecuniae transit ad luxum, qui reddit decimam partem colono. Reliqua summa in metalla, quae arti inseruiunt, conuertitur. Secundo anno, quoniam summa triginta milliorum florenorum non rediit, pretia rerum decrefcunt pro tertia parte. In eodem anno noua fit operatio et nonnisi vna pars argenti adhuc supererit. Ex eo patet, non mirandum, si reliquae artes ad interitum ruant et si colonus ad fundum deferendum cogatur. Ne igitur luxus artibus noceat; copulatio existat oportet inter luxum et reliquas artes. Itaque hanc dabimus regulam.

Regula. Luxus luxui praefereendus, pro gradu et quantitate virium, quas in motum agit.

Nota. Patet ex eo, si materiae fabricandae ab exteris inferantur; copiosissimam hominum classem labore et nummis destitutum iri; si vero res forma iam donatae adducantur; duas hominum classes sine labore et vitae subsidiis relinqui.

§. XLVI.

Quarta hominum classis operas praestando portionem bonorum naturalium aut conventionalium acquirit. Admodum utilis est haec classis,

classis; sed propior etiam egestati, quam reliqui ordines ob naturam negotii, quod se ad aliorum refert fortunas crescendo et decrescendo cum incrementis aut decrementis fortunarum. Reipublicae autem interest, ut numerus hominum ad onera contribuentium potius augeatur, quam imminuatur; hinc regula tradenda est, quae huic hominum classi necessaria semper suppeditet.

Regula. Successio non intermissa laborum locum habere nequit, nisi operae ipsae pro temporum ratione variae sint.

Hominum huius ordinis labor est vnicum sustentationis adiumentum. Cessantes reliquas fortunae opes manus suppleat. Ut illas adhibere possint, labores adsint necesse est. Sed labores deficere possunt ob varias causas, aliud igitur laborum genus substitui debet, ne cessante labore reliquis hominum classibus sint oneri.

Scholion. Operae manuales, quae per omnia temporis interualla adhiberi possunt, per praemia sunt commendandae, aut per leges expressas iniungendae. Fila ducere, ubi reliqui cessent labores, maxima praebet commoda.

§. XLVII.

Quinta iam sequitur classis composita ex iis, qui aut fruuntur diuitiis, quibus abundant, aut qui lucrum exinde quaerunt, ut mercatores. Ex secunda huius dissertationis parte iam luculenter constat, quomodo diuitum nummis respublica frui possit. Ratione mercaturae hoc addam eam delere posse nostram industriam, nisi in hanc maximam exerat vim, id eueniet, si sine resistentia agat, id est, sine impedimentis externis aut internis.

§. XLVIII.

Remotis defectibus, qui ordines erga se inuicem reddunt inaequales, videndum annon semper duraturi labores possint hominibus suppeditari. Homines agere debent, nisi agant se ipsos corrumpunt.

Vitae

Vitae adminicula igitur sunt administranda. Antequam ad noua subsidia transgrediamur, videamus an non ea, quae iam existunt, possint verti in maiorem vtilitatem. Supra locuti sumus de seruitiis, quorum commendauimus abolitionem. Premunt hi labores colonos. Si modicissima pecuniae summa a colonis constitueretur; si caetera, quae dominus mercenariis concedere solet emolumenta, in vnum coalescerent; laeto animo pauperes, qui in omnibus extant prouinciis, pro iusta mercede ad illum accederent laborem. Maiori cum contentione labores peragerentur. Ingens hominum copia alimenta inueniens, aliis per consumptionem vitae praeberet auxilia et numerus hominum ad onera contribuentium augetur. Parua vis ingentem sustinet molem, si sit bene adhibita, et ad hanc diuersam hominum directionem redit omne momentum.

Maximi porro momenti est militia. Cel. A GRIESHEIM (Be-
fräge ic. ad desertissimos locos culturae reddendos milites vult adhibitos, ope castrorum in illis locis metandorum. Huic sententiae eo magis accedimus, quod hoc modo sine omnibus impensis terrae cultui via pararetur, ad maiorem hominum copiam alendam. Addere nobis liceat militiam totam in fauorem egestatis constitutam esse debere.

Scholion. Plus expensarum milites facere deberent. Principi igitur quaedam negotia a militibus peragenda, de quibus mox sermonem facturi sumus, essent salua relinquenda. Desidiarum hoc modo in illa vitae conditione fons desiccaretur et illud vitae genus, quod effugitur, aemulationem nunc incensurum esset.

§. XLIX.

Vt autem ad omnes homines se extendant labores, negotia ingentis molis essent suscipienda. Omnia naturae regna abundant vitae auxiliis. Per omnes igitur prouincias, aliquis suscipi deberet la-

D

bor,

bor, qui ad omnia naturae regna se extenderet. Ne hic labor intermittatur, secundum methodum aliquam esset suscipiendus; hoc modo ab vna semper prouincia ad aliam progrediendum esset. Populi enim copia augente, noua etiam vitae adminicula sunt suppeditanda. Naturae enim homo contradiceret, si suam vim in eadem proportione exercere negligeret, ac illa suam demonstrat profusionem. Plantae, metalla, fabricarum officinae, primam hominis curam sollicitant. Primis initiis succedere debet perfectionis idea. Ac vt primum ad aliquam perducta fuerint haec obiecta perfectionem, promouendae venditionis causa, alii essent suscipiendi labores. Huc facerent cursus publici institutio, canalium ductio, viarum publicarum munitio.

§. L.

Sed si haec scopo insufficientia saltem in iis prouinciis viderentur, vbi, non obstantibus his vitae auxiliis, egestas tamen quouis die increfcit et si quis ex me noua adminicula quaesuerit, ad longam eorum ipsum prouocarem seriem. Non quod in se ignota sint, sed quod aut plane non, aut non rite adhibeantur. Quot possent adhiberi manus ad terram, quae margacea audit, omnibus plantis utilissimam detegendam! ad hortos in quouis vico plantis exoticis replendos, vt exinde ad omnes possint transire colonos! ad extensissimas arborum ad commercia facientium plantationes inchoandas! ad nitrum, quo nulla gens deesse potest copiosius creandum! ad molinas, quarum ope gypsum aut fructus aesculi hippocastanum ad ouium esum teruntur extruendas! Hi et ingentes alii extant modi, qui non eius generis sunt, vt vni aut alteri, sed vt copiosissimae genti alendae sufficiant.

His si addas inuenta, quibus aliae gentes nos antecellunt et quae tamen nostro non imperuia sunt ingenio. Sic lintei xylini tinctura Turci nos anteeunt, Russici populi pellium praeparatione, angli lanuae textura;

textura; Galli coloribus et nitore quem sericis confectis dare sciunt; Bataui linteorum candefactione et chartae confectioe. Vnius adhuc plantae mentionem faciam, quarum cultum nostra non respueret terra et quae sola ingentes pecuniae summas quouis anno Chinam migrare iubet. In Botanica sub nomine Theae et in vsu communi haec planta notissima est. A Suecis et ab Anglis facta pericula eam nostro climati assueferi posse luculenter probant. Ratio, qua huius plantae cultus hucusque fuit impeditus, quaerenda est in vitiosa seminis e China ad Europam vectione. Obtinetur, si semina ad naui recessum e China, in naue terrae mandentur. Vide systema vegetabilium ab Equite MURRAY editum pag. 496. Quae si rite perpendantur, patebit, omnes Europae regiones ingentem in modum adhuc crescere posse populis et diuitiis.

§. LI.

Sed grauior quaestio moueri potest, annon in posterum egeffati omnes aditus obstrui possint, praesertim in artibus. Hanc vltimam quaestionem examini submittam. Mea quidem sententia duobus modis hoc malum a medio tolli posse censeo. Primo si principiis obstemus, secundo si ordinum confusioe occurramus. Principiis obstare tutissimum erit. A diuersitate artium pendere earum incolumitatem et iustam erga se inuicem proportionem; id supra annotauimus. Ad diuersa igitur abeant diuersae hominum classes. Sed diuersitas ingeniorum pendet a diuersitate impressionum in mente. Tempus ipsum, quo hae menti offeruntur impressiones, plurimum faciunt ad sequentem aetatem felicioram reddendam. Has impressiones praestabunt scholae et quidem scholae reales.

Scholion. Ratio, quae reddat vnam gentem altera superiorem industria, non ex aliis deriuanda causis. Acuuntur ingenia per cumulum idearum, earumque diuerso combinandi modo. Eligitur saepe male vitae genus, quoniam ignoti nulla cupido.

§. LII.

Edocti in illis scholis adolescentes non statim admittendi essent ad opificia; vt iis nimirum tanquam caput praesint. Aetatis etiam aliqua habenda est ratio. Vfus omnis generis ducunt ad perfectionem; colligant igitur exempla apud alias gentes, adolescentes, vt suam gentem reddant feliciorem. Incommoda e praematuris huius aetatis primordiis in seram adhuc transirent posteritatem. Non vno tempore vbertatem suam exerit natura; sed successionem obseruat. Maturitatem igitur expectemus, si minus rempublicam inutilibus membris implere cupimus. Vis et robur reipublicae consistit tota in vi et in ingenio suorum membrorum.

§. LIII.

Omnes res vti existentiae, ita etiam interitus sui vident momenta. Dissoluuntur ordines si transitus sit ex vno in alterum. Si coloni ditiores facti ciuitatem petant, vt ibi a parentibus acquisitas pecuniae summas dilapident; si defidiarum studium alios in urbem vocet, vt seruos constituent; si fabricae vtilissimae a luxu deglutitae corruant; si nobilium patrimonia, quae luxum sustentabant a luxu absorbeantur, tunc luxus ipse, qui se efferebat super omnes, nouis subsidiis destitutus perit et eius membra in alias coniciuntur regiones: tunc patria deseritur, et illa populi classis, quae operarum ope vitam trahebat, mendicum quaerit panem. Tanto igitur malo vt medela aliqua afferatur, haec dabō principia.

Primum principium. Natura se sustinet per regulam oppositorum.

Si hanc regulam adhibemus ad diuersos ordines; videbimus artes, quae magis a luxu excoluntur in causa esse, cur hic maiores faciat progressus, si igitur omnes ordines exculti per artes inter se de praeminentia aemulentur, cum perfectio innumeros habeat gradus, omnes ordines se aequabunt. Ars igitur arte depelletur. Lex etiam restituet

restituet consumptionem deficientem. Sic lex ab Anglis lata fauens vilissimis e lana confectis pannis, mortuos iis vestiri iubet. Extendi posset haec lex ad templa; ita vt ea fabricatis rebus exornentur. Ab ordine eruditorum maxime aequari possent caeteri ordines. Apud illum ordinem sunt eloquentia et cuiuscunque generis notiones, ad alios igitur per publicas praelectiones docendos et persuadendos adhiberi deberent. Exempla denique et mores principis plurimum valent apud populum. Si hic simplicitatem opponat dissolutioni, nobiles ipsius prementes vestigia, ceteros ad mores reuocabunt et sic ab interitu respublica liberabitur.

Secundum principium. Gradatio aliqua est introducenda inter ordines.

Aemulatio si desit hominibus, vita ipsis deesse videtur. Sic ad collegia commerciorum, magistraturam vrbis ceterosque honoris gradus vocandi essent vtilissimi homines cuiusuis ordinis. Inuentis qui auxerint rempublicam; qui fabricas vtilissimas introduxerint; qui ad externos nostra producta vehi curauerint; huius dignitatis essent participes reddendi. Hominibus sunt stimuli admouendi, vt ingenia eorum semper altius euehantur.

§. LIV.

Nexus denique omnium ordinum inter se fulcrum praebabit omnibus. Cohaerere dicuntur eiusmodi res, qua sumta vna, altera sumenda est. Mutuis necessitatibus naturale inter homines constituitur vinculum. Quo maior igitur est necessitatum numerus; eo maior erit inter omnes ordines nexus. Sunt igitur gradus cohaerentiae.

§. LV.

Vbi plures ad vnum coeunt, ibi adest perfectio, nam perfectio est consensus variorum. Centrum igitur commune habeant omnes ordines necesse est. Illud centrum agricultura constituitur. Sunt

gradus perfectionis, ergo et vna agricultura praestantior est altera. Si agricultura cum ceteris ordinibus, nonnisi per vitae necessaria cohaereret; tunc debilis et lenta oriretur communicatio; si ea simul cum artibus cohaereat, arctior euadet copulatio; si denique cum luxu in nexu sit; ex omnibus partibus cum artibus iuncta erit vinculo, qui est maximus cohaerentiae gradus. Exinde arctissima inter omnes ordines relatio est nascitura. Ergo omnes reipublicae partes se inuicem tenebunt, vt nulla sine altera subsistere queat.

§. LVI.

Inde sequuntur, quaedam consuetudina.

Primo. Omnia, quae ad artes et ad luxum faciunt a terrarum cultoribus coli debere. Illud regnum, in quo tam amplius introduci possit cultus; omnium felicissimum deuenturum. Sunt igitur gradus felicitatis pro diuersis regnis.

Secundo. Si relatio adesse debeat ratione vitae necessitatum et rerum, ad artes requisitarum: proportio inter producta diuersa ipsa adsit necesse est. Nam si ex. gr. cultus frumenti plus iusto extendatur; in gremio abundantiae colonus periret.

Tertio. Illam rationem productorum inter se, ab eo posse perspicere, qui totum videat. Est ergo hoc Imperantis officium. Imperans totius reipublicae est oculus. Commoditates et abusus ille perspectos habet, hinc hos reprimere et illas promouere potest.

Quarto. Ad nexum promouendum, magis faciunt paruae portiones, quam ingentes terrae tractus.

Quinto. Quoniam homines producentes sunt in nexu cum hominibus consummentibus; hinc vrbes etiam tam ratione extensionis, quam situs in relatione cum vicis esse debent.

§. LVII.

Artes terrae fructus consumunt, sed ipsae etiam producant. Producant autem, vt consumantur. Eadem igitur est ratio artium;

ac fuit cultorum. Itaque nummi, qui ad agricolas abierunt, iterum in fabricatorum manus redeant oportet. Si hoc desit; omnis pecuniae cursus impeditur et omnis inter ordines relatio perit. Ergo etiam coloni consumere debent merces. Exinde deducimus hoc principium:

Artium interesse, ut ditiores fiant terrae cultores, quod fit per eiusmodi plantas exoticas, quae in commerciis plurimum valent. Imperantis est eas introducere.

§. LVIII.

Artium centrum est terra et hominum est imperans. Frustra verba fecissemus, nisi omnes partes reipublicae ad illud reuocauerimus. Individualem enim conseruationem omnes intendunt cives; vis igitur adsit necesse est, quae omnes ad conseruationem totius ducat. Individualem ob conseruationem, inaequalitas fortunarum est introducta; ille, qui omnibus voluntatibus dat impulsus, aequalitatem restituendi gaudet facultate. Hoc primo efficitur, si nullus ordo altero praegrauetur, secundo, si aequalis introducatur consumptio.

§. LIX.

Praegrauatur vnus ordo altero, primo si onera sint male distributa, secundo si privilegia personalia concessa sint.

Vt onera publica rite ordinentur, omnes homines, qui ad producendum concurrunt, considerandi sunt, ut vnicum tantummodo caput, a cultore, fabricatore et mercatore compositum. Ope fabricarum officinarum, ea quae terra offert, ad perfectionem ducuntur et per mercaturam noua vitae subsidia administrantur. Ut onera determinemus lucrum faciamus commune. Sit vnica serici libra aequalis decem florenis, post fabricationem aequalis triginta, post venditionem a mercatore [qui decem centenis sibi sumit faciendam, aequalis quadraginta quatuor florenis, ab illa summa deducendae sunt omnes impensae culturae, artis, venditionis et ex illo communi

lucro,

lucro, sumenda est, aut quinta, aut sexta pars, cuiusuis lucro et cuiusuis labori adaequata.

Quaestionem moueat quis an re ipsa hoc effici possit. Hoc nullis laborat difficultatibus. Prima, quam respublica haurit cognitio, e numero machinarum textoriarum descendit. Sufficit haec cognitio ad determinandum rerum textarum numerum, quae per annum forma donantur. Secunda cognitio, ex indicibus ad vectigalia exhibendis, hauritur. Alio adhuc modo respublica ad illam peruenire posset cognitionem. Praemia essent fabricatori concedenda pro certo rerum textarum numero. Duplicaret modicum illud praemium copiam rerum textarum et onera publica laete soluerentur. Commendat se quam maxime hoc systema a parte simplicitatis; nam nulli hoc negotium subesset inquisitioni: aequitatis, quoniam nonnisi post factam venditionem soluitur: aemulationis, quam in homine accenderet et quae redditus annuos auget. Nihil participat cum reliquis systematibus, aut iniustus, aut multis obnoxiiis difficultatibus.

Praegrauari possunt homines, secundo, per privilegia personalia. Huc faciunt monopolia. Interim, si haec monopolia concessa essent ob res non ad necessitates, vitae facientes, sed ob alias res maximi momenti et ad certum tempus restricta; nulla exinde in ceteros subditos mala redundarent.

§. LX.

Maximam vim exerit Imperans in subditos, si ipsis leges praescribit, aut ipsis exempla praebet, aut immediate vitae adminicula creat. Ab ipso pendent artium vis et commerciorum vigor; uti ab altera parte ab eodem impulsu dependent calamitates. Sic Elisabetha Angliam ditauit vi suarum legum et in Hispania similes leges, alia rerum facie, ad desperationem adegerunt populum.

Aliam vim in populi mores exerit, si ipse suam gentem honorare scit, vtendo rebus apud eam forma donatis. Aequalis mox honos a reliquis ciuibus rebus textis praestabitur. Sed

Sed immediate operatur, dum appellat ad se viros peritos, qui ab exteris litteras repetierunt, vt haec dona in gremio suae patriae reponant; dum mercatoribus, qui artium producta exportare curant, praemia concedit et ea praemia ad plures extendit annos, vt eo modo commercia aliqua capiant incrementa; dum ad agriculturam et artes promouendas, societates et academias instituit et quod maximi momenti est, certas pecuniae summas experimentis faciendis designet, vt lumina saeculi hoc modo colligi et ad felicitatem populorum adhiberi queant.

§. LXI.

Maximi denique momenti est aequalis consumptio. Vidimus aequitatis regulam in percipiendis nummis pro scopo proponendam esse, eandem sequi debet Imperans in eorum consumptione. Si, vti vidimus, fluxus et refluxus nummorum sine intermissione fieri debet, eadem ratio respectu onerum obtinebit. Redire enim debent nummi in manus, quae eos obtulerunt, nisi hoc eueniat, inaequalitas fortunarum se est manifestatura. Luxus intra urbium moenia se efferet et miseria incedet in vicis. Imperans, qui nummos aceruat, subditos premit. Diuitias enim habere nequit, nisi inaequalem argenti portionem possideat, si ea apud principem extat, in aliqua reipublicae parte deest, si desit negotia, artes, agricultura languescunt. Ergo pecunia in cursu sit necesse est. Cursum illum imperans promouet aut extraordinario modo, dum nouum quid suscipit, vti urbium, carnalium, fabricarum aedificatio; aut per modos consuetos refluere faciendo nummos per seruos reipublicae. Hinc sedem figere deberent in prouinciis principes appanagiati, praefectus prouinciarum, dicasteria minora. Sed ordo, qui praeprimis cursum nummorum promouet, est militia. Primo, quia per paruas recipiunt portiones, salaria sua milites; secundo, quia eorum sumtus circa res ad vitam necessarias versantur, Illis igitur, qui vitae necessitates parant, utilissimi sunt. Ergo per totam rempublicam dispersus esse debet ille ordo.

§. LXII.

Hoc modo non securitati solum, sed totius etiam reipublicae salutis prospiceretur. De sua prouincia feliciori reddenda inter praefectus prouinciarum generosa oriretur aemulatio. Si enim reliquorum felicitatem promouere, vehiculum esset ad honores et ad praemia acquirenda, contentio virium inter homines enasceretur, quilibet prouinciae suae incolumitati, vt ea alias artibus et commerciis praecelleret, studeret. Ex felicitate singularum partium, felicitas totius proficiscitur; hinc tota res publica felicior redderetur.

§. LXIII.

Repetitionem dictorum instituam. Internam reipublicae salutem, per aequiorem terrae distributionem, per immunitatum, seruitiorum, et onerum inaequalium sublationem promouere conati sumus. Solis realibus diuitiis aliquem feliciorem reddi posse id nemo in dubium vocabit; sed vbi se ad externos retulerit, diuitiarum conuenientium inopia; maximum inter se et illos constituetur discrimen. Hunc etiam diuitiarum fontem reipublicae aperuimus. Ergo eam tam interne, quam externe feliciorem reddere allaborauimus. Per intimum denique omnium ordinum nexum inter se effecimus; vt propria eiusque salus salutis omnium inseruiat. Interne ingentis molis negotia reipublica exequendi habebit facultatem; externe autem, ob populorum et diuitiarum cumulum, cunctis formidinem iniiciet.

T H E S E S.

- I. *Praecepta de non importandis mercibus alienis propria commercia euertere possunt.*
- II. *Onera publica non debent esse imposita pro ratione necessitatis reipublicae, sed pro facultatibus hominum contribuentium.*
- III. *Commerciorum bene ordinatorum prima relatio esse debet non ad externos, sed ad subditorum numerum.*
- IV. *Homo in societate politica nunquam abiicit libertatem.*
- V. *Aestimaciones rerum circa res ad vitam necessarias producendi desiderium debilitant,*

Lb 1734

12







Tractatus de Felicitate reipublicae

TRACTATIO
DE
FELICITATE REIPUBLICAE
PER AEQVIOREM DIVITIARVM
DISTRIBUTIONEM PROMOENDA

508

AVCTORE
IOANNE CHRISTOPHORO MEHLBURG

Lb 1734

ARTIVM MAGISTRO

LIPSIAE
IN BIBLIOPOLIO I. G. MÜLLERIANO
MDCCLXXXVI

